

## XXXXI.

Argumenta conciliantia efferuntur formulis, quibus vel exprimitur <sup>Concili-</sup><sub>antia.</sub> virtus dicentis, vel animo audientis, legentisque imprimitur, vel eius describitur virtus, de quo sermo est, vel generalis sententia de virtute profertur.

## XXXXII.

Proponemus nunc nobis sententiam: studendum est academico. hæc ita <sup>plum.</sup> enunciatur: quoniam vitæ academicæ rationem, & Deus & patria & respublica a me exigunt; inde eam non, nisi rebus utilibus atque studiis præclaris, impendam: hæc equidem formula virtutem dicentis monstrat. Si vero in hunc modum quis dicat: si vitæ academicæ rationem & Deus & patria & respublica a te exigunt; certe eam non, nisi rebus utilibus atque studiis præclaris impendi fas erit: hoc locutio virtutem in primis imprimit legenti vel auscultanti. Si præterea hæc ita reddetur: Atticus vitæ academicæ rationem Deo & publicæ rei reddendam, & propterea vitæ hoc genus non, nisi studiis liberalibus atque rebus utilibus impendendum censebat: ista formula personæ cuiusdam tertiaræ virtutem describit. Denique sententia generalis hæc erit: quisquis in artium liberalium officinis versatur, is vitæ istius rationem Deo

H 3

&amp; pa-